

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George  
Flaminio, Marco Antonio**

**[Argentorati], 1582**

Psal. XXV. Ad te domine leuauit amara, etc.

[urn:nbn:de:bsz:31-127882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127882)

PSAL. XXV. AD te Domine leuavi ani-  
mam, &c.

ARGVMENTVM.

Viri periclitantis est precatio,  
Qua crimina, & peccata condonariet,  
Petit sibi canens Dei clementiam.

CARM. GEN. 14.

**H**IC fidat armis, plebe se clientium  
Defendat alter, militumq; copijs:  
A te creator orbis vno spes mea  
Pendet, malisq; in rebus vnum respicit.  
Tu sancte genitor effice insolentibus  
Ne spes inanes risui sint hostibus.  
Sic me pudore liberabis: nec rubor  
Confundet ora ceteris, in te sua  
Qui collocarunt anchoram fiducia.  
Frustratur illos spes, & irrita spei  
Pudor dolorq; torqueat, qui sordium  
Amore sese sordibus contaminant,  
Bonosq; nulla prouocati iniuria  
Vexare gaudent. Mihi per anfractus vagos  
Vita, salebras inter & tenebras iter  
Ostende rectum & erutum sequacibus  
Erroris vndis, prauio lucis tua  
Splendore deduc veritatis in viam.  
Te nempe ab vno pendeo spe, te Deum et  
Vnum & salutis columen agnosco mea. et  
Si torta vitij sorte morum regula  
Deflexit, error si sesellit lubricus,

D

*hic lapsus  
stimus  
rebanany  
et psalmo  
9.*

Fracta illecebris si voluptatis malis  
 Incauta vitijs se iuuenta polluit,  
 Benignitatis tu tuae memor tamen,  
 Et lenitatis (qui parentes mollibus  
 Frenans habenis, vsque ab incunabulis  
 Orbis paterna es vsus indulgentia )  
 Miserere. nostris quod negares moribus,  
 Tue negare non potes clementia.  
 Nec denegabis, nec precantes bona bonus  
 Vacuos repelles: nec viam poscentibus  
 Rectam aberis vnquam recti & equi regula.  
 Tu mitis animi amplecteris modestiam,  
 Docesq; recti & improbi discrimina.  
 Tu dux comesq; tua per compendia  
 Ducis carentem fraude mansuetudinem:  
 Peccata bonus & facilis obliuisceris:  
 Promissa soluis liberali dextera:  
 Minuitq; poenas mitis indulgentia:  
 Fidesq; dictis stabilis erga omnes adest  
 Qui pacta sacri foederis non negligunt.  
 Hanc vt nepotum secula mansuetudinem  
 Noscant, tuiq; nominis se gloria  
 Late per omnes fundat orbis angulos.  
 Ignosce nostris mitis erratis parens,  
 Quae multa iniussit aegritudo, & impotens  
 Amor, regiq; contumax ira & dolor,  
 Errorq; veri non acutus arbiter.  
 O ter beatum, mente qui pura Deum

Vene-



Veneratur illi, quaecunque amplectitur  
 Vita institutum, dux adest semper Deus,  
 Rectorq<sup>3</sup>, & omnes actiones prosperat.  
 Securus animus anxio procul metu ce  
 Cunctis fruatur affluenter copijs: ce  
 Stirpisq<sup>3</sup>, series longa firmabit domum, ce  
 Genusq<sup>3</sup>, multa floridum propagine ce  
 Opes paternas ad nepotes transferet. ce  
 Quin & piorum mentibus mysteria,  
 Contempta prauis, impiè sapientibus  
 Occulta, Dominus luce proferet sua,  
 Et sacrosancti fœderis scientiam  
 (Qua sola vita dux beata & regula est)  
 Docebit. Ergo rex beate cœlitum  
 Te mente solum quero, nusquam lumina  
 Abs te reflecto. tu pedes solus meos  
 Hostis dolosis erues è retibus.  
 O sancte custos hominum, amico lumine  
 In me intuere, & destitutum ab omnibus  
 Inopemq<sup>3</sup>, sancta me tuere dextera.  
 Curisq<sup>3</sup>, mentem qua perurunt plurima,  
 Nouisq<sup>3</sup>, semper differunt doloribus,  
 Exolue. pœnis vsque & vsque immanibus  
 Exercitato, & obruto laboribus  
 Ignosce: culpas mitis obliuiscere.  
 Heu quanta vis me factiõnis impia  
 Persequitur armis! quanta me crudelitas  
 Inexpiato quarit odio perdere!

D ij

Tu me periculis libera: tu protege  
 Eius salutem ab hostium ludibrio,  
 Omnem salutis qui locauit spem suam  
 In te, nec alijs fudit opibus quam suam  
 Integritatiq<sup>3</sup>, & tuae clementiae.  
 Gens qua tuarum iussa legum amplectitur,  
 Fac vndequaue tuta sit te vindice.

PSAL. XXVII. Iudica me Domine, &c.

ARGVMENTVM.

Cum forte ab hostibus vocaretur suis  
 In ius, eiq<sup>ue</sup> falsa inique crimina  
 Confingerent, exponit ipsi numini  
 Causam suam, vitæq<sup>ue</sup> rationem suam.

CARM. GEN. 15.

**M**E vi tyrannus persequitur palam,  
 Me clam maligna fraude calumnia.  
 Te, qui latebras pectoris inspicis,  
 Appello, rerum conditor optime.  
 Mens fraudis expers, & manus innocens,  
 Auiq<sup>3</sup> pura & flagitio: in Deo  
 Spes fixa, sortis qui violentia  
 Me seuentis non sinet opprimi.  
 Renesq<sup>3</sup> flammis & penetrabilia  
 Scrutare cordis, cacaq<sup>3</sup> sensuum  
 Arcana, susum ceu calidis focis  
 Explorat aurum callidus artifex,  
 Mentem videbis munificentiae  
 Quae dona nunquam non meminit tuae:

Acta<sup>3</sup>